

Giovanni fu Tomaso di Giovanni de Romano di Brusio vende a Giovanni fu Betino Nussio e a Bernardino fu Isepo de Galizia, decano e ufficiale della vicinia di Brusio, a nome dei vicini di Brusio un pezzo di terra prativa campiva e selvata in contrada di Brusio a Spina per il prezzo di 200 lire imperiali.

Aquistum comunis et vicinorum de Bruxio sibi factum per Johannem filium condam Tome Johannis de Romano.¹

In Nomine domini amen Anno a Nativitate ipsius Millesimo quingentessimo quatragesimo sexto inditione quarta die veneris quinto mensis februarii. Johannes filius condam Thome olim Johannis de Romano de Bruxio comunis Pusclavii fecit et facit venditionem datum et cessionem et totius suy iuris dominij et possessionis translationem et traditionem ad proprium et secundum usum et consuetudinem comunis et terre Pusclavii in manibus Johannis filii condam Betini Nusij de Betino et Bernardini filii condam Jxepi de Galitia dechani et offitialis hominum vicinorum et universitatis de Bruxio jbi presentium stipulantium et recipientium pro se se et nominibus et vice dictorum vicinorum et universitatis de Bruxio, Nominative de petia una terre prative et campive et silvate iacente in teritorio Pusclavij in contrada Bruxij in loco ubi dicitur **a Spina**, cuy choeret amane strata comunis ameridie Menici filii condam alterius Menici Boni de Togniolo asero Johannis filii condam Nicholay Doffi de Jxepo et partim Johannis filii condam Augustini de Tura et partim Anote Doffi Jxepi de Gulielmo et anullora Bonati filii condam Menici Boni de Togniollo, Salvo semper errore chorentiarum ita quod si alie vel aliter reperirentur suprascripte chorentie vel aliqua earum quod semper stetur veritati et in hoc instrumento venditionis semper inteligantur vere et iuste fore aposite et deducte et hoc cum omnibus suis iuribus et pertinentiis vijs accessis finantijs ingressibus egressibus et regressibus aschuis paschuis aquis aquaductis et aquarum iuribus et generaliter omni alteri iuri beneficio integrum spectantibus et pertinentibus predicti emptores pro se se et nomine utsupra habeant teneant gaudeant et possideant predictam petiam terre superius chorentiatam et venditam cum omnibus suis iuribus et pertinentiis et exinde de ipsa nomine utsupra semper faciant et facere possint et valeant iure suo proprio quid quid facere voluerit et ey placuerit² et hoc sine vetu et contraditione suprascripti venditoris et eius heredum et cuiuslibet alterius persone. Insuper suprascriptus venditor predictis emptoribus nominibus utsupra dedit tradidit atque mandavit omne suum ius omniaque sua universa iura et omnes suas actiones comunes reales personales utiles directas et ipotecarias privilegia et prorogativas sibi spectantes et pertinentes spectantia et pertinenta quod quos quas et que habet seu habere poterat ante hoc intrumentum venditionis celebratum, preterea dedit tradidit atque mandavit ipse venditor predictis emptoribus nominibus utsupra plenam parabolam et licentiam intrandi egrediendi et aprendendi corporalem possessionem et tenutam in et super predictam petiam terre superius chorentiatam et venditam cum omnibus suis iuribus et pertinentiis. Quam vero venditionem et predicta omnia et singulla suprascriptus Johannes venditor predictis emptoribus nominibus utsupra promisit et convenit solempniter et legitime\$ per stipulationem obligando omnia sua bona pignori presentia et futura perpetuo et omni tempore defendere et guarentare ab omni persona comuni colegio capitulo et universitate et hoc in pena et sub pena dupli pretii infrascripti et omnium expensarum solempni stipulatione premissa et deducta et ipse venditor teneatur in se susipere omnem causam casum et litis eventum que monetur vel que exinde moneri contingerit et hoc a prima citatione inantea et denuntiatione premissa omnibus suis propriis dampnis expensis et interesse et eius heredum et sine dampnis expensis et interesse dicte universitatis Bruxij et hec omnia in bonis dinariis numeratis tantum et non in aliqua alia re contra voluntatem dicte universitatis Bruxij. Unde pro qua venditione et pro predictis omnibus et singullis contentus et confessus fuit et est suprascriptus Johannes venditor se recipise et habuisse a suprascriptis emptoribus nominibus utsupra solventibus libras ducentum imperialium in bonis dinariis numeratis et hoc in solutione et pro completa et integra satisfatione huius instrumenti venditionis et predictorum omnium et singullorum, renuntiando exceptioni dicte pecunie non date non recepte nec ita habite in toto nec in parte et huius instrumenti venditionis non ita facti et predictorum omnium et singullorum non ita factorum in toto nec in parte, et generaliter omni alteri iuri legum et auxilio alegationi exceptioni defensionis omnique probationi in contrarium, renuntiando omnibus statutis consiliis legibus iuribus provixionibus et ordinamentis comunis Pusclavij et cuiuslibet alterius comunis factis et fiendis in contrarium. Et de premissis omnibus et singullis rogaverunt me notarium infrascriptum ut publice confitiam instrumentum unum et plura semper in laude viri sapientis si necesse fuerit. Actum Bruxij in stupha domus habitationis Bernardini filii condam Jxepi de Galitia.

¹ Scritta sul dorso della pergamena.

² Scritto al singolare, probabilmente per errore di trascrizione o copiatura

Interfuerunt ibi testes ad hec vocati et rogati videlicet Menis filius condam Bernardi de Beto de Pusclavio, Andreas filius mey notarij infrascripti et Antonius filius condam Andree olim Noti de Andreosa de Pusclavio et pro notariis ser Matheus filius condam ser Bernardini de Paravicino de Pusclavio et Jxepus filius suprascripti Bernardini de Galitia omnes noti et jdoney.

(ST) Ego Johannes publicus imperialy auctoritate notarius comunis Pusclavij filius condam ser Antonii de Paravicino hoc instrumentum venditionis et predictorum omnium et singulorum rogatus tradidi et per alium³ scribi feci et in fidem omnium premisorum hic me subscripsi.

(Archivio parrocchiale cattolico Brusio)

³ La calligrafia del notaio che ha redatto il documento non è evidentemente quella del notaio sottoscrittore Giovanni Paravicini di Caspano.